



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola,  
Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

6. Februarii. Curas in mensem, vel annum imminentem mittis? heu me!  
unde tibis ram diuiturnæi vitæ fiducia? S. Ignat. vitæ I. 4. §. 30.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

Quantò vehementior Dei amor pectus  
occupat, tantò acerbior odisse debet ejus  
inhonoratorem, imò parricidam. Amicus  
Dei , hujus inimicorum amicus esse non  
potest. Qui peccatorem non odit , Deum  
non amat.

Trahuntur ex conversatione mores , &  
mali etiam nolentibus virtus sua affricant.

Longè proniùs est , ut à malo bonus  
quam à bono malus sua in consilia , & mo-  
res inducatur.

Ut cum pesti afflato nemo prudens ha-  
bitaverit, sic amicitia , & mora omnis di-  
solvenda est cum eo , qui per peccatum fa-  
ctus est Deo, Angelis, bonisque omnibus  
abominatio.

## 6. Februarii.

*Curas in mensem, vel annum imminentem  
mittis? heu me! unde tibi tam diuturna  
vita fiducia?* S. Ignat. vitæ l. 4. §. 30.

**Q**uotidiana sunt humanæ caducita-  
tis testimonia, & super tam fragili  
fundamento improvidi nescio quas ma-  
chinæ machinamur ! nemo sibi tuto cra-  
stinum polliceri cùm possit, ita vivendum  
tanquam hodie morituris.

Nis

Nihil in salutis negotio differendum;  
avolat vita, cum qua clausa est janua me-  
tendi: vela contrahe, hodie vive: crastina  
quid ferat dies, incertus, nunc salutem  
tuam operare.

Quæcito fiunt, duplicem laudem ha-  
bent, & gesti operis, & celeritatis; utramque  
amittunt dilata. Nulla in re magni no-  
men obtinebit, nisi cum Alexandro sta-  
ciat: nihil differre in crastinum, quod ho-  
die dari possit executioni.

Nec flos magis caducus, nec vitrum  
fragilius est, quam sit spes longioris vitæ:  
illum flatus decutit, istud ictus commis-  
nuit, sed hanc mille die uno casus adi-  
mere possum.

## 7. Februarii.

Cum quis impugnatur, semper habeat, a quo  
sustentetur. S. Ignat. ap. Ribad. l. s. c. 10.

**P**rima belligerantium cura est, habere  
fœderatos. Væ soli! cum ceciderit,  
non habet sublevantem; tuo consilio, aut  
viribus fidere, certum audaciæ argumen-  
tum, sed & ruinæ initium est, quod tot tri-  
stes casus ostendunt,

Quò validior, & astutior hostis, cum  
quo